



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XXVII. De Nola, quæ campana B. Meinulphi nuncupatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

CAPUT XXVII.

De Nola, quæ campana B. Meinulphi nuncupatur.

Quia in præmemoratis de primo Priore convenientem locum habere non potui narrare de campanâ B. MEINULPHI, de Dalmatica ipsius, & de Tilia, uti & de singularibus exercitiis Matris ejus convenienter annectere non potui, jam antequam de secundo Priore supradicti Monasterii relationem faciam, dignum duxi de præfatis id, quod antiquorum & veridicorum relatione mihi intimatum fuit, Posteris in scriptis commendare. Itaque in sæpe dicto Monasterio Büdecensi est quædam parva Nola, quæ campana B. MEINULPHI nuncupatur, & inter reliquias B. MEINULPHI in hodiernam usque diem reservatur, de qua, tempore quo primum Regulares Monasterium prædictum inhabitare cæperunt, hæc seniorum villanorum, qui prædictum locum inhabitaverunt, relatio fuit, ut quandocunque una de Canonissis prædicti Monasterii viam universæ carnis erat ingressura, dicta campana ante mortem sine omni humano adminiculo sonum valde sonorum per se fecit, quo facto erecta in statione sua permansit, Canonice verò Monasterii sonum scientes per prædictam campanulam esse factum indubitanter noverant, quod una earum statim esset moritura, & idcirco per majorem vitæ suæ emendationem ad mortem se singulæ præparabant. Et ita factum & completum fuit, quod de prædicta campanula in sequentia B. MEINULPHI decantatur: *O quam signum singulare, quo nos ad mortem præparare monet sonus Cymbali.* Cum verò quædam de sæcularibus Canonessis nuptui tradi debuerat, prædicta campanula simili modo sonum fecit, sed sonò factò in lateribus jacens inventa fuit. Hæc etiam campana eodem die, quo ultima Abbatissa Monasterii B. MEINULPHI nomine Walburga coram Reverendo Wilhelmo Ecclesiæ Paderbornensis Electo & confirmato ac ejus Capitulo suo antedictum Monasterium cum omnibus suis bonis resignavit, sonum faciens fecit manifestum, quod & ipsa ad breve temporis spatium post prædictum campanæ pulsum vivere debuit super terram, quod & ita contingebat.

CA-